

Franckesche Stiftungen zu Halle

Observationvm Philologicarvm Decadem

Dehn, Johann Heinrich

Regiomonti, [1729?]

VD18 13484982

Observatio II. in 2. Sam. XVII. 23.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-63864-p0011-9](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-63864-p0011-9)

Observatio II. in 2. Sam. XVII. 23.

Nodum in scirpo hic quæsiuerunt multi, in mortis genus Ahitophelis inquirentes. Cum enim convenientia inter hunc & Judam proditorem reperiatur maxima, etiam in mortis genere à se non distare, putarunt docti viri. Ahitophel erat unus è præcipuis ministris & consiliariis Davidis, 2. Sam. XVI. 23. nec Judas, Apostolorum erat infimus; Ahitophelis perfidia in Davidem regem optimum manifesta est, utpote qui à partibus Absalomi filii perditissimi stabat, omnibusque viribus in id incumbibat, quo David non modo regno, fortunis, sed & hac svavissima luce indignissime privaretur. 2. Sam. XVII. 12. Eheu, quam perfidiam in Juda! qui duas res sanctissimas violat amicitiam & fidem. Judæis odio infano erga Magistrum flagrantibus, vitæ ejus insidias struentibus, pessima suggerit consilia, facem præfert; istum, qui illum tot tantisque obstrinxerat beneficiis, deserit, hostibus viam pandit ad inter necionem ejusdem. Ahitophel videtur nefanda auri cupidine abreptus in Absalomi partes transiisse, cui tum temporis fortuna melius adspirabat; filii serenitatem sequi malebat, quam nebulas patris, consiliis suis gratiam novi Regis venari, sicque oculis suis consulere studebat. Par est avaritia ac audacia Judæ. Ex avaritia omnis mali fonte, nascebatur scelus ejus, quo nullum datur atrocius. Sic in moribus, temperamento, vitæ genere, sibi sunt similes nequitia fratres plus quam genuini, scelerum fœdere inter se ac nefaria societate juncti, æternis suppliciis mactandi, quidni & in morte? Perfidia in Davidem, metus, consilii contemptus, conscientia inprimis scelerum, domesticæ assiduæque illæ sunt furia, dies noctesque adeo illum pungentes, ut nullum, nisi in laqueo, remedium sibi superesse, putaverit. En obiter voti Abigaelis complementum. 1. Sam. XXV. 29. Eadem fata manent, Judam, facinorum omnium, dum hominum genus erit, facile principem, turpissimo quæstu ductus, cum & consiliis & spe, præter opinionem, dejicitur, Magister morti est vicinus, ipse in faucibus ejus hæret rebus omnibus desperatis, conscientia tædis ac flammis agitatus, laqueo spiritum intercludere festinat, ac ὁπλον Actor. I. 25, occupat. Sed unde dicis, probabis, suspensio
ambo

ambo periisse? Plurima sententiarum divortia hic habes: Jo. Coccejus, vir in typis alias cumulandis sæpe liberalis, in *Jobum* c. VII. 15. ita: *Violenta*, inquit, & *affectata spiritus interclusio* notatur per קנח in *Ahitophèle*, 2. Sam. XVII. & ut videtur etiam in *Juda*, Matth. XXVII. 5. quandoque illa facta sit, & quomodocunque, idem in *Disp. Sel. Et. XXXVII.* קנח dicitur de *Ahitophèle* & non dubitari potest, quin ibi significetur violenta mors, tamen non semper significat suspendium, sed omnem elisionem spiritus, idem in Matth. XXVII. 5. קנח significat, omnem interclusionem spiritus sive extinctionem respirationis in corpore, quæ vita comes est, qua sublata vita non manet. Ad stipulatur illi, nihilque certi definire videtur Guil. Saldenus in *Oriis Theol. L. II. Exerc. III de typorum V. T. usu & abusu*, plane, inquit, mihi incertum est quomodo *Ahitophel* interierit, sive suspendio sui, an alio mortis genere. conf. & ejusd. *L. II. Exerc. VIII.* Alii certi quid ponere videntur, in eo errantes, illum ex longo animi mœrore (*Deut. XXXVIII. 65.* quo juxta Poetas ἐν ἐστὶ λυπῆς χεῖρον ἀνθρώποις κακόν) in morbum incidisse, angina periisse. Sic *H. Grotius* in h. l. & Matth. XXVII. 5. ita dicit: De *Ahitophèle*, in quem, quæ dicta sunt à *Davide*, in *Judam* apprime congruunt, & de quo similiter legimus ἀπήχξατο & in *Ebræo* est קנח quod verbum & *Syrus* & *Arabs* hic usurpant, sentiunt *Ebræorum* non ineruditi, non laqueo, sed moesitia illum periisse. Similiter *Dan. Heinsius Exercit. S. L. I. c. XXI. L. V. c. I.* ita scribit: typum porro proditoris *Ahitophel* fuisse, etiam antiqui notarunt, de quo 2. Sam. XVII. 23. καὶ ἀνέβη λατὸ τῷ ὄνκῳ αὐτῶ καὶ ἀπήχξατο καὶ ἀπέθανε, dicitur ubi in contextu קנח Targumistæ קנח de quo quidam ex Magistris notant, morbum ex magno animi mœrore ac dolore ortum fuisse. Adsentitur *Lud. de Dieu* in Matth. XXVII. 5. *Henr. Hammondus* in Mat. XXVII. 5. eo est, inquit, probabilius, quod addatur post ἀπήχξατο καὶ ἀπέθανε, quæ verba significare possunt mortem secutam esse ἀγχόνῃ, non vero illum suspendio vitam cum morte commutasse. Verum hoc argumentum mihi videtur infirmum, nec in contrariam sententiam *ἑαυτολογίας* vitio scriptor sacer potest accusari, cum non omnem strangulationem mors immediate sequatur, quæ impediri variis casibus potest. Hic vero strangulatio *Ahitophelis* ita describitur, quam mors vilissima revera secuta sit. Militat pro strangulatione, licet timidus, *Th. Bartholinus, tr. de Morbis Bibli-*

cis LXXVIII. ubi postquam in utramque partem rem ponderaverit, tandem addit: *Nullam esse causam, cur de mitiori supplicio cogitemus, quod maximum esse debuit, quo scelerata illius proditoris commissio augeretur potius quam expiaretur.* Nos cum *Seb. Schmidio Com. in b. l. p. 795.* adferimus, ambo hosce proditores laqueo periisse. Paria habet *Vir ven. D. Jo. Franc. Buadeus in diss. de peccatis typicis §. 27.* ubi tam illis adstipulatur, qui typum proditoris Judæ hic quærere student, cum *Fried. Balduino in passione typica P. I. typ. 8. pag. 333.* quam illorum adfert sententiam, qui cum *H. Grotio* putant, Psalmum CIX. sub Ahitophelis persona Judam proditorem describere, illumque Iscarioticum ab Ecclesia vocatum esse, quod in Ahitophelem, ut credibile, scriptus esset, cui multa cum Juda Iscariota communia, cui propterea verba v. 8. posita, aptarunt Apostoli, *Act. l. 20.* simul vero ostendit, non in Ahitophelem, sed Judam totum hunc Psalmum dictum esse, ita, ut nonnulli ibi 30. maledictiones numerent, juxta numerum argenteorum, pro quibus Servatorem vendidit. Adde locum *Act. l. 18.* ubi de Juda dicitur, illum viscera effudisse, quomodo hæc autem melius fieri potuere, quam suspensum illum fuisse, si cogitas? rupto laqueo è loco sublimiori, quem sibi ad mortis pessimæ monumentum elegerat, præceps factus, lapidi aut trunco acuto allisus, disruptus, viscera effudit. Ex longo animi mœrore autem quomodo id fieri possit, non consequi possum. Indico etiam verbo, lites, quas non meas facio, de voce ἀπὸ γένου inter *Jacobum Gronovium & Jac. Perizonium* agitata, quorum unus strangulationem ex laqueo, alter anginam, defendit. Superest, ut argumenta pro utraque sententia adlata, proponam. Qui suspendium rejiciunt, putant, (1.) non esse probabile, virum tam prudentem, tam ambitiosum, nefando mortis genere vitam finire voluisse. At, regeo, summa sapientia sit sæpe stultitia, ambitio mater est desperationis, & nescio, ad quæ absurda sit proclivis ejus oestio percitus; vita se privare malunt, quam crimen fateri, victasque dare manus. Fortius videtur, cum (2.) dicitur, *sepultum illum fuisse in spelunca patris*, quod ἀντόχεις non fuisset concessum, *Jer. XXVI. 23. 2. Sam. XVII. 17.* regeo (1.) sepultura hæc fiebat in tumultu, belli tempore, rege exule, ubi leges silebant, summa imis miscebantur, quid mirum, si & hac vice lex à populo rebelles, furioso, nefario ausu violata sit,